



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Vt nullus ex sacro ordine cibi vel potus causa tabernas ingrediatur. cxxx.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*Quid sit usura. Cap. CXXVI.*

**U**SURA est ubi amplius requiritur, quàm datur. Verbi gratia: Si dederis solidos decem, & amplius requireris: vel si dederis frumenti modium unum, & super aliud quid exegeris. *Ex cõcil. Agathẽ. cap. 1.*

*De eadem re. Cap. CXXVII.*

**Q**VICVNQVE enim tempore messis vel vindemiæ, non necessitate, sed propter cupiditatem comparant annonam vel vinum. Verbi gratia: Si cum duobus denariis comparat modium unum, & seruat que dum venundetur denariis quatuor, aut sex, aut amplius, hoc turpe lucrum dicimus. *Ex decr. Iulij papæ, usura ruy missis cap. 125.*

*De eadem re. Cap. CXXVIII.*

**Q**ualiter negociatorem aut excusat, aut arguit: quia est honestus quæstus, & turpis. Veruntamen penitentius est dispendia pati, quàm periculis negociationis adstringi, quia difficile est inter ementis, vendentisq; commercium non interuenire peccatum. *Ex epist. Leonis papæ.*

*Vt nullus ex ecclesiastico ordine edendi, vel bibendi causa tabernas ingrediatur. Cap. CXXIX.*

**C**Anonum statuta prohibent, ut nullus ex ecclesiastico ordine sumendi cibi aut potus causa, nisi peregrinationis necessitate compulsus, tabernas ingredi audeat. Sed si aliquis hæc interdicta violauerit, ut sanctorum canonum contemptor, accerrimis corripiatur disciplinis. *Ex dictis August.*

*Vt nullus ex sacro ordine cibi, vel potus causa tabernas ingrediatur. Cap. CXXX.*

**V**T clerici edendi, vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi. *Ex cõcil. Carthagi. ca. 25.*

*De eadem re. Cap. CXXXI.*

**Q**UOD nõ oportet sacro mysterio deditos à presbyteris vsque ad diaconos, & reliquum ecclesiasticum ordinem, id est, vsque ad subdiaconos, lectores, cantores, exorcistas, & ostiarios, & ex numero continentium, & monachorum ingredi tabernas. *Ex cõcil. Laodicẽ. si, ca. 24.*